ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 130r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dr̄ neque instruxitte quae te oportet loqui. Nisi ergo aaron
occurrisset moysi in montem nisi eius sensum sublime uidis
set et arduum. nisi excelsam eius intellegentiā perspexisset.
numquam ei locutus fuisset uerba dei. neque uirtutē signorū
prodigiorumque tradidisset. neque participē eum tantum mysterii
consciuisset. Uerum quoniam longū est per ordinē de singulis dicere.
uideamus. Ingressi ad pharaonem moyses et aaron. quid dicunt.
Haec dicit dn̄s, dimitte populum meum. ut seruiat mihi in heremo.
Non uult moyses ut populus in aegypto seruiat dn̄o. sed ut exeat
in desertum. et ibi seruiat dn̄o. Hoc est sine dubio quod osten
dit. quia donec quis in tenebrosis seculi actibus manet. et in nego
tiorum obscuritate uersatur. non potest seruire dn̄o. Non enim
potest seruire dn̄o et mammone. Exeundum igitur nobis est de
aegypto. relinquendus est mundus. si uolumus dn̄o seruire.
Relinquendus autem dico. non loco sed animo. non inire proficis
cendo. sed fide proficiendo. Audi haec eadem iohannem
dicentem. Filioli. nolite diligere mundum neque ea quae
in mundo sunt. quoniam omne quod in mundo est desiderium carnis est.
et desiderium oculorum. et quid tamen dicit. quomodo uel
quatenus proficisci iubet ex aegypto uideamus. Uiam
inquit trium dierum ibimus in heremo. et ibi immolauimus
dn̄o deo nostro. Quae est uia trium dierum quae nobis incedenda
est. ut exeuntes de egypto peruenire possimus ad locum in
quo immolare debeamus. Ego uiam illum intellego